



The Holy See

PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

**AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA S. LUDOVICI IN MARAGNANO
(BREIENSIS)* DETRACTIS QUIBUSDAM TERRITORIIS AB ARCHIDIOECESI**

S. LUDOVICI IN MARAGNANO, ALIA CONDITUR DIOECESIS,

APPELLATIONE «BREIENSIS». Pro apostolico quo divinitus fungimur officio, munus Nostrum universae Ecclesiae pastoris absolutum magnam partem putamus, cum omne genus subsidia fidelibus adiuvandis suppeditaverimus. Quae inter, quoniam e praecipuis illud profecto est quo novae constituuntur dioeceses, sententiae accedendum esse censuimus venerabilis Fratris Ioannis Iosephi de Mota et Albuquerque, Archiepiscopi S. Ludovici in Maragnano, qui, post auditum Episcoporum Brasiliae coetum, ab Apostolica Sede petiit ut e quibusdam archidioecesis suae territoriis alit Ecclesia excitaretur. Accepta ideo hoc super negotio sententia sive venerabilis Fratris Humberti Mozzoni, Archiepiscopi titulo Sidetani et in Brasilia Apostolici Nuntii, sive Sacrae Congregationis pro Episcopis, sequentia decernimus ac iubemus. Ab archidioecesi S. Ludovici in Maragnano integrum territorium municipiorum separamus, quibus per vulgus appellatio Afonso Cunha, Anapurus, Araioses, Barreirinhas, Brejo, Buriti, Chapadinha, Coelho Neto, Duque Bacelar, Magalhaes da Almeida, Mata Roma, Santa Quiteira do Maranhao, São Benedito do Rio Prêto, São Bernardo do Parnaíba, Tutoia, Urbano Santos, ex iisque dioecesium condimus, *Breiensem* appellandam iisdemque circumscribendam finibus ac municipia quae diximus. Sic conditae dioecesis sedes episcopalis in urbe vulgo Brejo erit, magisterii vero cathedra in templo curiali eiusdem urbis, quod Deo dicatum est in honorem Conceptionis Immaculatae Beatae Mariae Virginis, quod cathedrale habebitur, cum iuribus et privilegiis congruis. Eadem praeterea suffraganea erit metropolitanae Sedi S. Ludovici in Maragnano, sic ut eius Episcopus eiusdem Ecclesiae Metropolitanae obnoxius. Cathedrale etiam Canonicorum collegium condatur, per alias tamen sub plumbo Litteras; interea vero consultores dioecesanos Episcopus eligat, qui ei de more assistant. Mensam episcopalem quae dicitur constituent Curiae emolumenta, fidelium pecuniae sponte oblatae atque bonorum pars quae novae dioecesi obvenient, ad normam canonice 1500 Codicis Iuris Canonici. Ad seminarium quod attinet sacrorumque alumnorum educationem, serventur praescripta Iuris Canonici, decretum *Concilii Vaticani II* «*Optatum totius*» atque peculiare normae Sacrae Congregationis pro Institutione Catholica; suo autem tempore electi iuvenes Romam mittantur, ad Pontificium Collegium Pianum Brasilianum, philosophicis theologicisque disciplinis imbuendi. Quod autem spectat dioecesis regimen, administrationem, vicarii capitularis electionem, fidelium iura et onera aliaque id genus, serventur quae sacri canones praescribunt. Simul ac Breiensis Ecclesia rite fuerit constituta, eo ipso sacerdotes ei Ecclesiae ascripti censeantur, in qua beneficium vel ecclesiasticum officium habeant; ceteri vero clerici seminarii que tirones ei, in qua legitime degant. Acta denique et documenta conditam dioecesim respicientia a Curia S. Ludovici in Maragnano ad Breiensem transferantur, in tabulario religiose custodienda. Haec quae praescriptis ad effectum adducat venerabilis Frater Humbertus Mozzoni, quem diximus, vel ab eo delegates

sacerdos; qui autem negotium perfecit congrua documenta exaranda curet ad Sacramque Congregationem pro Episcopis quern primum mittat. Hanc vero Constitutionem nunc et in posterum efficacem esse et fore volumus; ita quidem ut quae per eam decreta sunt ab iis quorum res est religiose serventur, atque igitur vim seam obtineant. Cuius Constitutionis efficacitati nulla, cuiusvis generis, contraria praescripta officere poterunt, cum per eam iisdem derogemus omnibus. Nemini praeterea haec voluntatis Nostrae documenta vel scindere vel corrumpere liceat; quin immo humus Constitutionis exemplis et locis, sive typis impressis sive mane exaratis, quae sigillum viri praeferant in ecclesiastica dignitate constituti simulque ab aliquo publico tabellione sint subscripta, eadem omnino habenda erit fides, quae huic habebitur, si ostenderetur. *Datum ex Arce Gandulfi, prope Romam, die quartodecimo mensis septembris, anno Domini millesimo nongentesimo septuagesimo primo, Pontificatus Nostri nono.*

ALOISIUS Card. TRAGLIA	CAROLUS Card. CONFALONIERI
S. R. E. Cancellarius	S. Congr. pro Episcopis Praefectus

Franciscus Tinello

*Apostolicam Cancellariam Regens Iosephus Del Ton, Protonot. Apost.*Eugenius Sevi, *Protonot.**Apost.*

*A.A.S., vol. LXIV (1972), n. 1, pp. 12-13 © Copyright 1971 - Libreria Editrice Vaticana